

unde non immeritò Prognosticatrix, sive Divinat-  
 trix, ac Judiciaria dicitur, quoniam officium ejus  
 proprium est, diuturnis ac saepe repetitis experien-  
 tiis vires atque effectus stellarum, erraticarum,  
 præcipuè, accuratè scrutari; quas in elementis ac  
 elementatis corporibus mutationes, pro vario in cœ-  
 lis positu excitant, notare; regulas de temperamen-  
 tis & inclinationibus humanorum corporum Me-  
 dicis, de aura mutatione, ventorum, pluviarum,  
 siccitatum, sterilitatum eventu Agriculis ac Nau-  
 tis præscribere; ipsos eventus futuros longè antè præ-  
 nuntiare. Hos intra limites si se contineat, nec li-  
 beri arbitrii hominum arcem involet, laudabilis est,  
 nec indigna, cujus etiam Principes notitiam ali-  
 quam nanciscantur. Cujus notitia Principi suo in-  
 stillanda septimum Loculamētum concinnavit Or-  
 gani Auctor, variisque instruxit Tabellis, & pe-  
 culiari Libello explanavit. Tametsi verò & Locu-  
 lamento & Libello prædicto Astronomia sive de Mo-  
 tu Planetarum titulum præfixerit, fortasse quia  
 Tabellarum pars Astronomia ac Planetarum mo-  
 tui, certis temporibus deprehendendo deputata est:  
 malui tamen Libro huic Astrologia epigraphen præ-  
 figere, quòd pleraque Astrologica potius quàm  
 Astrono-